Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2489

Quelle:
Copyright:

ta o fili precepta magiſtri &c. et ad calcem Elenchus Capitulorum omiſſorum, quae videlicet ad Novitios et Subjectos minus pertinent.

Fol. 39. eodem modo praemittitur: *Nota quod in ſubſcriptis continentur ſtatuta ordinis fratrum Celeſtinorum incipiendo a capitulo XIIII. usque ad finem* &c. Priora Capita ob eandem rationem omiſſa ſunt. Sequitur Elenchus, et *Incipit prologus ſuper ſtatuta ſecundum ordinem fratrum Celeſtinorum. Homo ad ſimilitudinem dei factus illi ſe debet in ſui nouitate ſpiritus reformare* &c. Capitulum ult. eſt *de penis et remiſſionibus*, ſed ſcriptor laborem abrupiſſe videtur. Ceterum Εγχειρίδια haec ſunt, quod *Jeſuitis* Regulae *Summarii* et *Communes* fuere, et primum quidem habetur *Cod. Regularum Lucae Holſtenii* auctoa *Mariano Brockie* O. S. B. T. I. P. 2. edit. *Aug. Vindel.* 1759. p. 113. f. Alterum autem in tota illa Collectione VI. Tomis conſtante non comparet; quae enim ibi T. IV. p. 476. leguntur *Conſtitutiones Coeleſtinorum* prorſus diverſae ſunt, neque, an alibi impreſſa ſint, quae Codex *Statuta* vocat, novi. Ordinem porro *Coeleſtinorum* Congregationem eſſe Hominum Inſtitutum Benedictinum profeſſorum conditam Sec. XIII. a *Petro de Murrone*, qui poſtea *Coeleſtinus* V. Pont. Rom. fuit, norunt Hiſtoriae eccleſiaſticae cultores. Num e tot religioſorum Ordinum reformationibus et ſubdiviſionibus Eccleſia hac *circumdata varietate* multum ſplendoris acceperit, pacique et exemplo publico ample conſultum fuerit, non eſt hic diſcutiendi locus.

Folio *Codici* praetexto inſcripta eſt pereleganti manu Profeſſionis religioſae Formula, qua ſe *Frater Benedictus cbramer de Grünenbergk Sacerdos wratiſlauien. dioc.* anno 1498. in manus *Fratris Andree de freynſtat prioris* devovet *monaſterio Sanctiſpritus Montis paracliti de Oywin*, quod Monaſterium *Luſatiae* prope *Zittaviam* prima fuit *Coeleſtinorum* in Septentrione colonia ex *Italia* deducta a *Carolo* IV. Imp. poſt Sec. XIV. medium. Ejus fata e Scriptoribus collecta habes in magno *Lexico univerſali* T. XXV. p. 2570. *Codicem* inde ad nos veniſſe, pronum eſt.

DCLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 17. 4. eſt: *Oratio domini Joannis tritemij abbatis ſpanhemenſis habita in capitulo annali: kl. ſeptembris. Anno domini:* 1499. Initium: *Quocienſcunque ad peragendam hanc ſynodum vos conueniſſe patres reuerendi contueor: tociens noua quadam et incredibili mentis leticia perfundor* &c. Minuit tamen hanc laetitiam, quod ſequitur: *Nonne ſeptuaginta quinque ordinis noſtri* (Benedictini) *paſtores ad huius ſynodi celebracionem vocati ſunt? Et nunc XL. vbi ſunt? Quare non venerunt? Putaſne omnium cauſe abſentium tanquam legittime admittende ſint? Vereor* 614